



**Commentariorvm, Ac Dispvationvm In Primam Partem
Sancti Thomæ Tomvs ...**

Complectens Quæstiones à XXVII. vsque ad LXIV. & à Quæstione CVI.
vsque ad CXIV.

Vázquez, Gabriel

Antverpiæ, 1620

Dispv. CC. An per species Angeli intelligent.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-81000](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-81000)

Respondeo dicendum, quod species per quas angeli intelligunt, non sunt a rebus acceptæ, sed eis connaturales. Sic enim oportet intelligere distinctionem spiritualium substantiarum & ordinem, sicut est distinctio & ordo corporalium. Suprema autem corpora habent potentiam in suam naturam totaliter perfectam per formam. In corporibus autem inferioribus potentia materia non totaliter perficitur per formam, sed accipit nunciam, nunc aliam formam ab aliquo agente. Similiter & inferiores substantie intellectuales, scilicet anime humane habent potentiam intellectivam non completam naturaliter: sed completur in eis successive per hoc, quod accipiunt species intelligibiles a rebus. Potentia vero intellectiva in substantiis spiritualibus superioribus, id est, in angelis, naturaliter completa est per species intelligibiles connaturales in quantum habent species intelligibiles connaturales ad omnia intelligenda quæ naturaliter cognoscere possunt. Et hoc etiam, ex ipso modo essendi huiusmodi substantiarum apparet. Substantie enim spirituales inferiores, scilicet anime, habent esse affine corpori in quantum sunt corporum forma, & ideo ex ipso modo essendi competit eis ut a corporibus & per corpora suam perfectionem intelligibilem consequantur, alioquin frustra corporibus vniuntur. Substantie vero superiores, id est, angeli sunt a corporibus totaliter absolute immaterialiter, & in esse intelligibilibus substantes: & ideo suam perfectionem intelligibilem consequuntur per intelligibilem effluxum, quo a Deo species rerum cognitarum acceperunt simul cum intellectu naturali. Vnde Augustinus dicit 2. super Genesim ad litteram, quod cetera quæ infra angelos sunt, ita causantur ut prius fiant in cognitione rationalis creaturæ, ac deinde in genere suo.

Ad primum ergo dicendum, quod in mente angeli sunt similitudines creaturarum, non quidem ab ipsis creaturis acceptæ, sed a Deo qui est creatorum causa, & in quo primo similitudines rerum existunt. Vnde Augustinus dicit in eodem lib. quod sicut ratio qua creatura conditur, prius est in verbo Dei, quam ipsa creatura quæ conditur, sic eiusdem rationis cognitio prius fit in creatura intellectuali, ac deinde est ipsa conditio creaturæ.

Ad secundum dicendum, quod de extremo ad extremum non pervenit nisi

per medium. Esse autem formæ in imaginatione, quod est quidem sine materia, non tamen sine materialibus conditionibus, medium est inter esse formæ quæ est in materia, & esse formæ quæ est in intellectu per abstractionem a materia & a conditionibus materialibus. Vnde quantumcunque sit potens intellectus angelicus, non posset formas materiales reducere ad esse intelligibile: nisi prius reduceret eas ad esse formarum imaginationum: quod est impossibile, cum careat imaginatione, ut dictum est. Dato etiam quod posset abstrahere species intelligibiles a rebus materialibus non tamen abstraheret, quia non indigeret eis, cum habeat species intelligibiles connaturales.

Ad tertium dicendum, quod cognitio angeli indifferenter se habet ad distans & propinquum secundum locum. Non tamen propter hoc motus eius localis est frustra. Non enim movetur localiter ad cognitionem accipiendam, sed ad operandum aliquid in loco.

CONCLUSIO est, Angeli non intelligunt per species a rebus acceptas sed per species sibi innatas & connaturales: cuius veritas sequenti disput. magis explicabitur.

DISPVT. CC.

An species Angeli intelligant.

Angeli per solam suam essentiam, & intellectum omnia intelligere senserunt Durandus & Nominales cap. 1.

Communis sententia cap. 2.

Iudicium de utraque sententia cap. 3.

CAPVT I.

Angeli per solam suam essentiam, & intellectum omnia intelligere senserunt Durandus & Nominales.

Presens controuersia est de principio, quo Angelus intelligit, aut visionem elicit, an sit nuda essentia sua, & intellectus, vel indigeat specie aliqua addita ipsi intellectui, ut ea formatus intellectus eliciat intellectionem: tum etiam, quæ rationales species Angelo conveniant. In qua questione mirum non est varia esse Theologorum placita: est enim res hæc a sensu remotissima, & proinde vix aliqua certa coniectura de ea sumi potest: referam igitur singulatim omnium sententias, ut saltem nobis appareat, quæ illarum minus rectæ philosophiæ, & rationi aduersetur.

Prima opinio est eorum, qui dicunt angelum absque vlla specie innata, vel adquisita sola sua essentia, & intellectu esse secundum ad intelligendum, quæcumque intelligit cognitione propria, & (ut aiunt) quiditativa rei. Ita tradiderunt Durandus in 2. d. 3. q. 6. n. 17. & seq. Gabr. in ead. d. q. 2. a. 2. concl. 2. Gabr. & 3. & 3. primæ parte conclus. 2. & 3. Ocam in 2. q. 15. Ocam. cõd. 1. ubi docet de omni intellectu etiam hominis, & in ead. quæst. in solutione q. 14. §. his visis, speciatim id docet

CAPVT III.

iudicium de viuaque sententia.

EGo quidem existimo rationes efficaces suppetere, ab probandum humanum intellectum instrui speciebus ad intelligendum: atrox certe vltima esse rationem, quæ id de intellectu angelico eodem modo aperte conuincat. Primum quidem de humano intellectu probatur ex sensibus, in quibus esse species, experimento compertum est. Omittis vero exterioribus, quorum species non pauciores rationes ab experimento ductæ confirmant: de interioribus, qui intellectui magis assimilantur, id ostenditur. Quia interiori nostra imaginatione voluitus frequenter rerum similitudines, cum nobis absentia, & præterita præsentia facimus, ac si ipsa intueremur: quæ, nisi species aliquæ, & similitudines eorum in nostra imaginatione conferuarentur, recogitari non possent. Cur enim ea, quæ nunquam vidimus, memorari non possumus; eorum autem quæ vidimus facile recordamur: nisi quia hæc in nobis aliquam sui imaginem impressam, illa vero nullam reliquerunt? Cum igitur in his facultatibus species esse dicamus præter ipsam facultatis potentiam, & virtutem: intellectui quoque humano, qui sensibus ita alligatus est pro hoc statu ut nihil sine illis intelligat, eandem concedere debemus. At de intellectu à corpore omnino separato hæc ratio non probat.

Posset tamen aliquis de omni facultate cognoscente, & de angelico intellectu idem suadere hoc argumento. Quia facultas cognoscens secundum se est vniuersale quoddam principium huius & illius cognitionis; nec ex se determinatum est, ut potius hoc quam illud cognoscatur: ergo indiget forma peculiari, qua determinetur, ut hoc, vel illud intelligat: nulla autem commodior videtur esse, quam species obiecti: nam omnis qualitas quæ cum ipsa facultate est principium cognoscendi aliquid, merito species illius dicitur, species inquam in actu primo representans, quia virtutem habet producendi actuale, & expressam similitudinem, quæ est ipsa cognitio ut supra disputat. 43. cap. 7. ostensum est.

Sed obijciat aliquis, etiam si intellectus, vel facultas cognoscens recipiat species singulorum obiectorum: nihilominus indifferens ex se manet ad intelligendum hoc, vel illud; & ab alio extrinseco principio determinari debet: ergo hac ratione non sufficiens probatur, species esse concedendas Angelo. Verum hæc obiectio non obstat rationi superius factæ. Nam quamuis intellectus instruitur specie indiget aliquo principio à quo determinetur ad exercitium circa hoc obiectum, quod in nobis prouenit à sensibus & à voluntate: tamen ex parte agentis principij vniuersis videtur necessaria forma quædam, quæ ipsam facultatem physicè modifietur ad agendum hoc potius, quàm illud: nam intellectus & facultas cognoscendi ex se solum videntur esse physicum principium cognoscendi in vniuersum, & cum hac vel illa specie completur in ratione integri principij, ut hoc intelligat vel illud.

Ceterum quamuis hæc ratio de intellectu hominis probet, de intellectu tamen angelico non item. Posset enim aliquis dicere, vniuersalem efficitatem, intellectus angelici, ad hoc vel illud

Valques in 1. part. tom. II.

intelligendum non necessario determinari à forma intrinseca sibi, sed ab obiecto. Nam proprium videtur facultatum cognoscendum, & appetendum, ut ab obiectis determinentur non efficientibus, sed peculiari modo concurrentibus ad operationem & aliquam rationem causæ habentibus; ita tamen ut facultas appetens determinetur ab obiecto existente in cognitione, facultas vero intellectus ab ipso obiecto exteriori existente secundum illud esse præsens, præteritum, aut futurum secundum quod accommodatum est intellectui. Nam eo ipso quod est intra latitudinem obiecti debiti, ià intellectus eo potest determinare. Hoc autem in angelis absque vilo incommodo potest defendi: at species Angelo concedere, certe aliqua difficultate non caret.

Primum, quia si intellectus angelicus ex se non esset sufficiens sine aliqua specie sibi addita ab eliciendam cognitionem, vel eam deberet accipere à rebus, vel habere ab initio secum productam. Si prius dicamus, sequatur plura absurda, quæ sequenti disputatione videbimus. Tum etiam si cum dicitur angelus species accipere à rebus, possemus dicere res ipsas cum intellectu Angeli ad cognitionem sui sine aliqua specie concurrere; ergo non est dicendum, angelum accipere species à rebus. Posterius vero non minorem difficultatem habet. Nam vel illæ species productæ ab initio cum angelo infusæ sunt à solo Deo non sicut debita perfectiones naturæ angelicæ, aut sicut formæ debita & fluentes ab Angelo per modum passionis. Prius est difficile: sequeretur enim, posset Deum species Angelo negare absque eo quod vim aliquam naturæ angelicæ inferret, quare violentum non esset Angelo nullius rei cognitionem habere, sicut violentum illi non est non videre Deum, cum tamen possit videre lumen sibi non debito communicato. Nam & illi qui dicunt Angelum nunc intelligere per species addita intellectui, plane fatentur debent aliquarum naturarum possibilitatem, species illi concessas non esse, nec illas ab angelo cognosci, absque eo quod Angelus vim aliquam patiat. Nullus enim vim patitur nisi contra internum impetum forma aliqua ei denegetur, aut contraria illi infundatur.

Præterea si hoc modo species angelo infunderentur, essent formæ supernaturales, sicut est lumen gloriæ. Nam omnes illæ, proximè à Deo infunderentur, sicut est lumen gloriæ, & ex parte Angeli solum esset potentia passiva sicut ad recipiendum lumen gloriæ; neque tales formæ infunderentur à Deo exigente aliqua dispositione vel causa creata, sicut infunditur anima rationalis. Nihil igitur deesset, quo minus supernaturales formæ dicerentur non secus atque lumen gloriæ iuxta definitionem rei supernaturalis, quam trademus disputat. 21. Quod si dicas, ideo hæc species esse formas naturales, quia sunt à Deo agente naturali, lumen autem gloriæ esse formam supernaturalem, quia supernaturali modo infunditur, id est, præter cursum communem: hoc discrimen non satis est, nam forma naturalis à supernaturali non ex parte tantum efficientis, sed ex se ipsa distingui debet, ut supra disputat. 44. capit. 1. contra Scotum notatum est, & infra etiam disputatione 214. capite 2. ostendimus. Deus enim non dicitur supernaturaliter aliquid facere, nisi vno ex duobus

duobus modis : vel quia solus ipse producit id, quod alias ab agente creato produci solet, propter aliquid tamen impedimentum iam non poterat ab agente naturali produci, vel quia formam aliquam suapte natura supernaturalem producit: alia vero ratione distingui non potest ex parte ipsius modus operandi naturaliter, & supernaturaliter.

*Modus philosophandi
facilior in
hac re.*

Quare facilius, ut reor, defenderemus cognitionem evidentem, quam vocant intuitivam & propriam procedere ex sola virtute intellectus Angelici hoc modo, ut quamvis intellectus angeli sit uniuersalis causa, & determinatione aliqua indigeat, ut hoc vel illo modo operetur, determinetur ad tali, & tali obiecto sibi proprio, & suæ virtuti naturæ æquali, non quia obiectum efficienter cum intellectu concurret, sed quia per modum obiecti & termini ipsum modificetur & determinetur ad talem operationem, ita ut circa tale obiectum non possit nisi talem operationem habere, non tamen quia ab obiecto excitetur, ut hoc potius quam aliud consideret, hoc enim ab alia causa prouenit, ut infra disputatione 136. cap. 4. dicemus. neque quia obiectum cum intellectu concurre possit ut causa efficiens ad intellectionem, ut patebit ex ijs, quæ dicemus disputat. seq. Et hinc solui potest ratio Scoti & Nominalium, quæ contendebant, obiectum esse causam efficientem intellectionis. Quod enim posito obiecto ponatur intellectio, & ablato auferatur, non satis est, ut dicamus, esse causam efficientem: sed satis est, asserere, esse causam alio modo, ut explicatum est: quæ autem sint obiecta sibi propria, & suæ naturæ virtuti integre accommodata notabimus disputat. 208. 209. & 212.

32.

Hoc tamen non obest, quo minus Angelus indigeat aliqua forma sibi addita ad intelligenda obiecta suæ virtuti naturæ non accommodata, ut ad videndum Deum, & mysteria gratiæ, & futura contingentia, quia ad hæc non habet completam virtutem intelligendi, sed inchoatam: habet enim vim intelligendi, prout intelligere est, quæ sub sua latitudine complectitur hoc, & illud intelligere: sed non habet virtutem integre completam, ut intelligat, aut videat quædam obiecta, quæ supra suam virtutem sunt, qualis est Deus, &c. completur tamen eius virtus ad ea videnda, addita aliqua forma supernaturali, ut de lumine gloriæ philosophari sumus supra disputatione 43. cap. 6. & sequentibus.

*Species
Christi in-
fusa natu-
ralis sunt
ordinis.*

Dicit aliquis ex dictis sequi species infusas, quæ animæ Christi communicatæ sunt ad cognoscendas res naturales, esse etiam ordinis supernaturalis. Si quidem id etiam nos inferebamus contra species Angelorum. Respondeo: id non sequi vilo modo: nam cum supponamus iam posse res creatas naturales intelligi & cognosci, sicut sunt, ab angelis intuitiva (ut aiunt) cognitione, mirum non est, si in alio intellectu, qui per se illas cognoscere non valet, dari possint species infusæ eorum ordinis naturalis ad easdem res cognoscendas. Dixi, ad easdem res cognoscendas: quia ad obiecta supernaturalia, qualis est gratia, & visio beatifica non dantur species infusæ ordinis naturalis, sed supernaturalis secundum substantiam sicut sunt ipsæ res, quæ cognoscuntur, quod si neque intellectus angeli posset res creatas sine speciebus intueri, nulli intellectui viderentur species

illæ, & cognitio illa intuitiva connaturalis, scilicet per naturales essent omnibus maneribus probatum, hæc species non esse infusas angelis ex sola Dei voluntate.

Deinde dici non potest, hæc species oriri ex ipsa natura angeli tanquam passionis illius, sicut quidam opinantur, de quibus disputatione 101. cap. 3. dicemus: nam cum natura angeli, & intellectus illius sint determinata secundum se, postulant determinatas passiones, & perfectiones sibi naturales: sed species rerum intelligibilium non sunt determinata, ergo nequeunt esse secundum naturalem inclinationem angeli. Eas vero determinatas non esse patet. Nam vel intellectus angeli exposcit eas tantum species rerum, quæ Deus creauit, aut creaturus est, vel etiam species possibilem, quæ creaturus non est: ad species tantum rerum, quæ de facto creauit, vel creaturus est non potest habere naturalem inclinationem, quia hæc non sunt naturaliter, sed sola voluntate Dei determinata: inclinatio autem naturalis, prædicta ad passiones, debet esse determinata naturaliter: ad possibles vero non potest, quia non esset maior ratio, quare ad hæc, quam ad illas, accipere ad omnes naturaliter inclinaretur. Quare vel illas omnes Angelus haberet, quæ essent finitæ, vel aliquibus imo infinitis careret contra naturalem suam propensionem: quæ duo absurda sunt: ergo facilius esset defendere Angelum absque speciebus res omnes creatas, & naturales intelligere.

Verum contra hanc sententiam obijciat aliquis hoc modo. Si nuda angeli potentia cum obiecto sufficeret, posset quidem angelus intelligere possibile & futura: nam & possibile & futurum prout talia, obiecta intelligibilia sunt. Respondeo de futuris eandem pene difficultatem esse in opinione aliorum, angelum per species intelligere. Nam & futurorum species manebat, nec eas accipit a futuris, quando præsentia sunt, ut infra disputatione sequenti, capitulo 1. tractando probabimus. Verum in utraque sententia facilis est responsio. Dico ergo siue intellectus habeat species rerum possibilem, & futurarum, nec nullam habeat, sed nuda sua potentia intelligat res omnes ideo non intelligere possibile, quæ in sola Dei potentia continentur, & futura contingentia, quæ ex libero arbitrio pendunt (hæc enim sola angelicæ cognitioni negamus) quia non sunt obiecta, quæ ipsi potentia secundum eius virtutem naturalem respondeant, & æqualia sunt. Quare circa illa prout talia sunt propria virtute operari non poterit. Cæterum ut communem sententiam defendamus, aliquæ sunt deinde difficultates examinandæ ut ei adhaerere, & conseruare philosophari possimus. Præterea posset aliquis defendere, species Angelis infusas esse à Deo, & nihilominus esse ordinis naturalis: quia licet à Deo postulentur produci, nulla alia causa efficiens aut dispositione id exigente: quæ videtur definitio entis supernaturalis, quam tradidimus disputatione 154. tamen, quia tales species sunt circa obiecta ordinis naturalis, & quæ exiguntur ab ipsis obiectis, ut intelligantur, infunduntur species à Deo: ideo ipsæ etiam species sunt ordinis naturalis. Hæc tamen ratio difficultate non caret: nam quamvis obiecta intellectus sunt ordinis naturalis in genere entis & re: tamen in ipso

nere obiecti possunt esse supernaturalis ordinis. E enim multa futura ex libertate arbitrij sunt entia naturalia in genere rei : & tamen in genere obiecti sunt supernaturalia, ita ut, quatenus futura, non cognoscantur ab Angelis naturaliter : neque illorum species naturalis ordinis angelis infundi possint : alioquin non esset causa, ob quam tales species illis non essent ab initio creationis concessæ.

DISPUTATIO CCL.

An accipiat angelus species à rebus.

Opinio Scoti, & aliorum, cap. 1.

Angelum nullas species accipere à rebus, communis, & verior sententia adstruit, cap. 2.

Quo pacto has species Angelus habeat ab initio ingenitus, cap. 3.

CAPVT I.

Opinio Scoti, & aliorum.

INTER eos, qui intellectui Angelico species concedunt, ut ipsis instructus intelligere possit, dissensio est de modo, quo tales species Angelo conueniunt. Prior opinio est eorum, qui docent, eodem modo Angelum accipere species à rebus, sicut noster intellectus à sensibus eas abstrahit. Ita affirmat Scotus in 2. dist. 3. q. 11. præsertim. §. Resp. Ricar. artic. 6. q. 1. Maior q. 7. Bassolis q. 4. ar. 2. & 3. Marfilus in 2. q. 7. art. 1. 2. p. ar. conclusiones 5. 8. & 9. & Alexand. 2. p. q. 24. memb. 2. & 3. ex quibus Alexand. nulla facta distinctione asserit, omnes species angelis à rebus esse acceptas, & nullas infusas ab initio creationis: loquitur autem de speciebus rerum spiritualium in memb. 2. de speciebus autem rerum materialium in memb. 3. Ceteri vero auctores dicunt, rerum incorruptibilium, & universalium species esse Angelo ab initio suæ creationis ingenuitas, rerum autem singularium, & corruptibilium esse à rebus ipsis postea derivatas: intelligunt autem meo iudicio, species earum solum rerum incorruptibilium, quæ ab initio cum ipsis angelis creatæ fuerunt, ipsis ingenuitas fuisse à principio suæ creationis: at vero rerum incorruptibilium, ut animarum, quæ post ipsos Angelos futura erant eodem modo ab ipsis rebus decursu temporis esse acceptas, sicut ab alijs rebus corruptibilibus; namque in eorum sententia idem omnino sequeretur absurdum, si rerum futurarum incorruptibilium species ab initio angelis habuissent, nempe res aliquas futuras recte ab ipsis cognosci.

Probant igitur, species rerum singularium nondum angelis præsentium, à rebus ipsis desumi; quia alioqui si queretur, omnia futura etiam contingentia ab Angelo cognosci, antequam sint, si ab initio secundum esse species omnium illorum habuissent: hac ratione prædicti Doctores videntur, excepto Scoto, qui asserit, potuisse quidem angelos habere species omnium rerum singularium, & futurarum contingentium, nihilominus non cogitare futura contingentia, quia per illas species Angelis non cognoscere connexionem actualis existentie cum tali re. Ipse igitur alia ratione vtitur nimirum, quia essent infinite species in angelo, si omnium futurorum spec-

Vasquez in 1. part. tom. II.

cies ab initio haberet, eo quod futura contingentia infinita sunt: existimat enim, ut inferius videbimus, non posse esse unam speciem, quæ plura repræsentet, sed singulatum rerum & operationum singulas quoque species esse assignandas.

Duo tamen addit Scotus: unum est, si Angelus non haberet aliquas species ingenuitas ab initio singulas accipere posset à rebus, in quo alij auctores ab Scoto non dissentirent: nam si aliquas accipere posset, cur etiam omnes non posset? Dicit tamen de facto Deum aliquas species Angelis infudisse: ut ipsum ornatum & perfectum crearet: id quod expresse cum Scoto notantur Bassolis, & Maior locis allegatis; alterum est, etiam si Angelus haberet species rerum singularium futurarum ad notitiam tamen intuitivam aliquid à rebus acciperet: id ipsum docuit Maior loco citato: existimant enim, notitiam intuitivam non fieri per solam speciem & conceptum proprium rei, sed esse notitiam rei ut actu existentis, & præsentis, ac proinde ad illam non sufficere speciem propriam rei antea infusam, nisi tunc aliquid angelus à rebus accipiat. Consentit etiam Gabr. in 2. q. prologi ar. 2. notatione 2. ex doctrina Ocam.

Verum Scotus in hoc non omnino cum alijs convenit. Alij enim docent Angelum accipere species intelligibiles à rebus, quibus postea eliciat intellectionem: Scotus vero asserit, angelos accipere notitiam ipsam intuitivam à rebus ita, ut intellectus cum re ipsa singulari præsentia producat cognitionem intuitivam ipsius, quantum ex hac noticia (ut ait Scotus) relinquatur species ad notitiam abstractivam, hoc est, ad notitiam rei non existentis, aut sine existentia consideratæ. Ita docuit quæst. 10. §. Ad questionem circa finem illius. Quomodo vero Scotus differat à Gabriele, Ocamo, & Gregorio, diximus præced. disputat. cap. 1. illi enim nullam speciem in angelo esse concedunt: Scotus autem plures esse dicit, & solam notitiam intuitivam à rebus accipit: quare non recte videtur Caietano Scoti sententiam recte esse infra q. 57. art. 2. Pro hac opinione adduci solet August. 12. de Trinit. cap. 7. ait enim Deum non videre ad tempus, nec aliquid novi fieri in eis visione, cum aliquid in tempore noviter fit, sicut (inquit) inde efficiuntur sensus vel carnales animalium & hominum, vel celestes Angelorum. Huic tamen testimonio primum respondemus, mirum non esse, si huius sententia fuerit August. qui ut vidimus disputat. 179. cap. 2. non dubitavit asserere, Angelos corporeos esse. Qui vero docent esse spirituales, ut Scotus affirmat, negare debent ipsos aliquid posse pati à corpore. Deinde dico, illud intelligi posse non quia Angelus immutetur à re præsentæ, ut ab efficiente sed quia non intelligit futura, donec præsentia sint, ut disp. 106. & 107. ostendimus.

CAPVT II.

Angelum nullas species accipere à rebus, communis & verior sententia adstruit.

Sententia communis amplectenda nobis est, quæ docet, angelum nullas species sumere à rebus ipsis, quam tradiderunt Sanctus Thomas, Caiet. & alij Thomistæ in hoc art. idemque S. Th. 1. 2. q. 100. art. 1. & Ferrar. ibid. Albertus in 2. part. summa tractatu 1. q. 14. memb. 3. artic. 2. 1. part. articuli. Albert. & ad primum, & lib. de quatuor coelis 1. parte quæst.

Tr 2

3. artic.